DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. IANVARII,

M. CAROLO GVILLEMEAV, Doctore Medico, moderatore.

An Dysenteriæ vtraque euacuatio?

QVI hominem vnum putat Philosophus non est, nec qui vnum præsidium Medicus: vterque deuius à vero, nec reputat caduci haud vno modo corporis conditionem, eiurat artem, dignus satis inter idiotas artifex. Quin non vni morbo, temperamento, ætati, sexui, regioni, cælo vnum remedium; & si vnum foret, nullum foret: vtque Naturæ meditantis salutem haud vnum opus est, ita nec imitati artificis vna supellex. Næ ille væcors nimiùm tot Naturæ opes præ vno puluisculo negligit, artisque dispendio potiùs quàm compendio iactat quam gestat in pyxide Panaceam, quam Natura nec Ars nouit aut potest. Næ illi pauperculi medicastri torpido suo genio dum faciunt, inter vtrobique Naturæ obuias opes, vnius aut alterius præsidij vsu, spes & opes ægrotantis decoquunt, sine ope deserunt. Arti tamen Naturæque iniurius videris, si tam sollicito apparatu stare putes operis majestatem, quem exorata vota vtriusque, extorquere debent, non placitura ministris, turpis indulgentia, quâ sine scelere ac perfidiâ res tui clientis sis diuisui habiturus. Vt Natura sic Ars ambidextra, ita vitam temperat & curam valetudinis, vtraque dum addit, detrahit, vota sequitur & tenet: quin vbi res ad interregnum venit, ars vna regnat, optima si legibus antiquis, quæ non vtrique muneri vnum instrumentum & modum posuere. Nec si vnum vacuandi consilium, lex vna item, quam vna tempestiuitas vt definit, sic artem asserit & artificem. Duplex illa, si summam sequeris, vacuandi ratio venæ sectio, purgatio: alterutri nullus non morbus obnoxius est, vtrique omnis fermè, quia nec vnus nec peccat vno, præsertim qui officialibus insidet.

EX his est quæ ab affecta parte & symptomate nomen habuit Dysenteria: non illa Hippocratis ἐρυθρὴ, aut Galeni αἱματηρὰ, quæ tum sanos tenet, vbi sellulariâ vitâ laboriosam emolliuerunt, tum parte aliqua truncos & malè mulcatos, quibus ipsa per se Natura facit medicinam: ne morbum credas? non minùs quàm vteri profluuia menstrua, hisve succedaneam hæmorrhagiam, vomitum sanguinis, aut melancholicis, plethoricis periodicas hæmorrhoïdes, priuatâ naturæ lege, & beneficio nonnunquam integro, cruentis vlceribus, nonnunquam dubio, tabidis illis quorum genus erat μελαγχολικὸν ἢ ὕφαιμον: non illa quam ἀτονία hepatis cruentâ & serosâ proluuie loturæ carnium simili repræsentat: non Tralliani ῥευματικὴ huic contermina, vel cœliacæ aut lientericæ dispositioni germana si nouitia, nisi tempore in veram dysenteriam degener. Huius essentiam duo ἀχωρίστως constituunt, vlcus & cruenta deiectio. Commune morbi genus solutio vnitatis: organicum exulcerati intestini asperitas: symptoma in excretis. Causam quæris? habes prioris morbi maleficia, septennem menstrui moram in serua muliere, plurimis diarrhœas diuturnas, sinceras, μετάπτωσιν ab ictero, acuta febre, hepatis, lienis inflammatione, proniorem à tenesmo: vel primarium affectum quem in humoris, excrementi amari, acidi, acris, vertas querelam: huius cumulum aggeret aliena victus ratio, auguralis cœnæ lautitiæ, vinum meracum; & quod mireris, ipsa abstemiorum frigida, natiuo vitio aut adscititio si palustris, plumbeis deriuata tubulis: morsum addet putredo & mora si non gentilis. Vtrumque promouebunt vagæ & incertæ vicissitudines temporum, ver humidum, æstas squallida & feruida, hyems austrina & pluuia in totum silens, quam ver aquilonium & siccum exceperit. A morsu prima labes, vtilis vliginis abstersio, altera propriæ intestini substantiæ abrasio, vltima quæ sola facit dysenteriam exulceratio.

MAGNVS ipsa morbus publici operis iniuriâ, non substantiæ partis detrimento, idcirco symptomate quàm propria ratione nocentior; illius (sine febre licet) diagnosis scientiâ patet non vnâ coniecturâ, vt plerisq. ni te vlceris indoles & positus angit, illius tamen quàm huius fides certior; Communis quippe morbi facies dolore & torminibus sæuit; morsus dolorem inuitat, mitiorem vbi mucosa primùm secedunt aut cruenta vltimùm & σαρκώδη: atrociorem vbi ξύσματα, & detritæ è priori tunica deraduntur portiunculæ; tormina parat iugis & molestus egerentium datatim difficulter intestinorum labor: nè illico conieceris dolore sublimi tenuia, humili crassa laborare, maior in excretorum conditione & mixturæ modo fiducia, non tanta quin sæpe fallat. Sors haud æqua vlceris, quod summa tenet innocentius etiam in gracilibus, quod altum vbiuis cacoethes, cuius extrema malitia dum serpit, non optando doloris leuamento. Quæ oris exasperata tumentibus obduruere nesciunt medicinam, de facili recrudescunt: inde ἐμφαινόμενα, acuta sed obscura febris, perfrigeratione extremorum, ardore viscerum, sitis ardentissima, anxietas, cibi fastidium, vigiliæ, peregrini ructus, oris ventriculi dolor, bilis vomitus qui initio deterior, syncope; affectis gracilibus maturius, euidentius, funestius, sicuti humentiore cælo, vel atra per initia proluuie: vt vix tibi persuaseris inter tot iniurias vitam morari, raróque inter acutos cognitum affectum, viris, & florentibus familiarem senio commori, tam variè mutabili malitiâ, vt præcipitet æstate, tardet autumno, parcat hyemi, veri sæpiùs, certa perpetuò pernicie gracilescente aluo, aut fluente si pestilens, qui & ipse interdum salutaris prodromo è naribus substillo: si festinus iuuat lienosos multa & subita egestione, non pigrâ & parcâ, hydropis aliàs aut lienteriæ conscius. His tu dum Naturæ & morbi vires simul requiris, prout huius illiúsve consilia & damna temperas, vel adsis otiosus dubiúsve spectator, vel gnauus & opportunus artifex.

TALEM ne putes qui in Themisonis Thessalive communitates iurauit, cum plebe totus in adstringendo, consultiùs multò facturus si eum, quem vires sustinere valent, mordentibus excrementis excursum permitteret, nec coercita sic acueret ad pœnam. Morsu illa priùs quàm impetu nocent, quare si arte & ratione egeris, primum est vt lenias & temperes, non sistas: in hæc studia conuerte victus parcioris & humectioris legem, & primam curam medendi. Dabit causa præsidij genus, modum affectus, vsum pars affecta: ita priora intestina blandè humescens potus non gelidior demulcet, vltima infusa per aluum tepidiuscula, nec pinguia, nec austera; si morbus vrget temperato calore χλιαρὰ, non frigida, commodum vtrisque lac bubulum, caprilium, asininum, sed ἑφθὸν & ζεστὸν, non crudum. Interim quæ consilia medentis diuidere solet vacuandi sistendique diuersa sollicitudo numquam distrahenda, quam regent vires, ingenium morbi, ipsaque symptomatum acerbitas; vna implebit vacuatio venæ sectione, purgatione instituta, neutra omnibus aut semper, nisi vires quæ solæ spem ægro, operis fiduciam artifici addunt, responderint, his afflictis recede: non est Medici sine Natura pugnare cum morbo: si ferant, non est quod alteri quàm venæ sectioni fidas primo morbi impetu, per augmentum & bonam partem vigoris, tunc maximè tempestiuæ quum fluit humor aut monetur: omnem de cætero operam incassum daturus temperando, quem in intestina vis muneris & morbi assiduè sollicitat; adeo exiguo vulnere omnem implebis paginam vacuando, mulcendo, sistendo, quo vno cum Empirico laborat Methodicus. Medio tutissimus ibis, si neque audias αἱμόφοβος aluo fluente, nec spreta indicatione αἱμόφονος, vt ab iis solet qui πεζῶνες veredorum ritu, quàm Medici videri malunt, vsum non mentem aut Naturam secuti; quæ vt morbos omnes decretoriis armis dignos non habet, vtpote cuius ea interdum moderatio vna λύσει triumphantis, vt per posticum illos cedere non pelli diceres; ita nec ἡγεμονικοῖς præsidiis. Artis scelus est violare iura Naturæ: hinc illa seculi infamia, qua facili olim, nunc ægra funestáque parturigine Lucinæ masculæ pudore sexus litatur: hinc morborũ vt partus infortunia, hinc crises quia insolentes fabulosæ.

SIC illi peccare vsu licet, casu alteri, quum in partem artis fortunam ducit, deseritque mentem securiore erroris exemplo nociturus, nescius suam morbo & auxiliis adesse tempestiuitatem, quam qui bene componit, vnus artifex *ipse sapit solus, reliqui velut vmbra vagantur.* Illa interdum in vota ceciderunt, quæ nec imitari tutum nec dignum arte. Acri statim enemate aut purgante etiam mochlico, chymico, omnis protinus detersa deturbatáque alieni humoris colluuies: dij talem fortunent, non est quod periculum periculo quæsieris. Pharmacum postulat vitium humoris non solùm quia nec primum, ne crudum morbum irritassis; mouere tum non moueri aptus humor noxius, quem imparatum nec salutariter vsquam deiecit Natura, nec Ars debuit, aut potuit. Opportune egeris quum deposita ferocia; rebus ægri compositis ad salutem, placide sequacem facilémque obsequio, certo symbolo similitudinis non odio antipatheias, blandè & ex destinato purgantium medicamentorũ delectu, non ad gratiam quæsito (quod vt coquorum sic Ciniflonum est polliceri & præstare, non periti Medici) euacuationi destinabis. Absit vt Chymica arte castigari posse putes, quâ mitiora efferascunt, vehementiora & metallica nunquam secura, aut debere quæ innocenter Natura miscuit, Ars probauit: ista tibi propere fugaci molestia gustus, ægro propinare salutem tutò fas est: ne persuasum habueris peccata in venis, nedum extra venas emendare Naturam vel Artem posse, quod excessit secedat oportet, nullâ Machaonis ope aut tempore rediturum in gratiam. Ita puro demum vlceri securè adstringentibus, epuloticis prouideris, & maturâ primùm fiduciâ præproperæ assuetum egestioni ventrem, quantumuis prima morbi & naturæ iura sinunt confirmaueris, nisi hoc te vltrò Natura labore leuauerit, haud immemori operis penso. Sic præstitæ operæ summam ista lex & vtriusque vacuationis sors diuersa sustinet; venæ sectio ituram vel accersitam alioqui in ventrem vim humoris excrementitij beneficio ἀντισπάσεως subducit potentius: quippe παρέγχυσιν nescit & recusat situs partis, parcius educit, ideò parcè & primùm: purgatio neutram nouit, ipso in partem affectam humorum impetu procurato innocens, salutem perficit & confirmat.

Ergo Dysenteriæ vtraque euacuatio.

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS PETIT Carnutensis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gilbertus Puylon.	*M. Hugo Chasles.*	*M. Quirinus le Vignon.*
M. Victor Pallu.	*M. Nicolaus Heliot.*	*M. Dionysius Guerin.*
M. Georgius Ioudouyn.	*M. Ioannes Vacherot.*	*M. Ioannes Riolan, Med. & Profess. Reg.*